

**Latein**

1. Juni 2009, 8:00 Uhr

**Nuntii Latini mensis Maii 2009**

Recitator: Volker Lütjens

**Papae propositum difficile**

Ad loca sacra Palaestinae et in civitatem Israel peregrinans Benedictus XVI. papa Iudaeos, Muslimos et Christianos monuit, ut una viverent placide et inter se pacem servantes. Postulavit, ut Palaestinensibus ipsorum res publica concederetur. In Israel pronuntiavit non oportere umquam memoriam genocidii a Germanis in Iudaeos commissi obliterari.

**Köhler iterum electus**

Ex electione praesidentis Germaniae Horst Köhler Democrata Christianus superior discessit. Iam sententiis primum latis plus dimidia parte suffragiorum in se vertere potuit. Gesine Schwan candidata Democratarum Socialium iterum a Köhler victa est, id quod iam quinque annis ante factum erat.

**"Ubi es, homo?"**

Eventum tantae frequentiae Brema non viderat umquam quantae inter dies vicesimum et vicesimum quartum mensis Maii. Trecenta milia hominum venerant, ut Evangelico Conventui Ecclesiastico interessent in hac urbe Hanseatica. Cui conventui praeposita erat sententia: "Ubi es, homo?"

**Stadae denuo urbs Hanseatica**

Multo prius quam Hammaburgensis civitas Stadae erat emporium portu florentissimum. Quae iam medio aevo inter urbes Hansa Teutonica coniunctas numerabatur. Nunc lite post multos annos peracta oppidum ad Albim flumen situm denuo urbem Hanseaticam appellari licet.

**Berlusconi repudiatus**

Veronica Lario uxor Silvio Berlusconi praesidentis ministrorum Italiae matrimonium, quod viginti annos tenebat, solutura est. Factionis mariti multitudinem mulierum, quae possunt psallere, saltare elegantius, quam necesse est probis, non iam sustinuit. Berlusconi affirmavit esse criminationes sinistrorum, quibus corrupta esse videretur uxor.

**Res antiquae nove dispositae**

Inter collectiones rerum antiquarum opulentissimas habetur illa, quae est Domui Liebieg Francofurtensi. Quae res pulcherrimae nove dispositae sunt ea intentione, ut inter simulacra et locos restitueretur relatio, quae erat ab origine. In atrio illo, ubi statuae Romanae exhibentur, monumentum admirabile nuper acquisitum nunc spectari potest, sarcophagus scilicet Alberici vocatus, in quo fabula deae Minervae sculpta est.

**Wolfsburg campionatum, Werder poculum adeptus**

Contra omnium exspectationem societas pedifollica VfL Wolfsburg exercitatore Felix Magath campio Germaniae facta est. Ultimo certamine pedilusores Bremenses, qui clade Constantinopolitana a manu pedifollica Shakhtar Donezk accepta confecti animis demissis ludebant, quinque ad unum ictibus devicit. Werderani autem una septimana post poculum Germaniae adepti sunt; certamine finali manum pedifollicam Bayer Leverkusen uno ad nullum ictu vicerunt. Follem portae adversariorum intulit Mesut Özil adiutore Diego, qui Bremam Augustam Taurinorum versus relinquet.

**NOTABILIA: Secundum millennium cladis Varianae**

Conicitur apud vicum Kalkriese ad eum montem situm, cui nunc saltus Teutoburgensis nomen est, ille locus fuisse, ubi a gentibus quibusdam Germanis foedere iunctis, quibus Arminius Cheruscorum princeps praeerat, insidiis dispositis ante duo milia annorum tribus legionibus Romanis a Quintilio Varo Germaniae proconsule ductis pernicies parata est. Qua de re propter hoc ipsum anniversarium agitur tribus expositionibus in oppidis Haltern, Kalkriese, Detmold habitis. Quibus locis usque ad mensem Octobrim spectari possunt plus septem milia quingentae res ad Arminium et illam cladem maximam pertinentes, quae in catalogo trium voluminum descriptae sunt.

Loci expositionum:

LWL-Römermuseum in Haltern am See;  
Museum und Park Kalkriese;  
Lippisches Landesmuseum Detmold.

Plura invenies sub:

[www.imperium-konflikt-mythos.de](http://www.imperium-konflikt-mythos.de)

**Dies festi ecclesiastici, [1:24]** 📺

Recitatrix: Hannelore Zöllner

**Die Deutsche Version:**

**Lateinnachrichten Mai 2009** ➡

Recitator: Volker Lütjens

Quelle: <http://www.radiobremen.de/nachrichten/latein/latein/mai100.html>